

COMOEDIA

DYSCOLI,

QUÆ

STYLO TERENTIANO;
A CORNELIO SCHONÆO
GOUDANO, Quondam Gymnasiarchâ
Harlemensi, Conscripta est:

ET NUNC

In usum Scholarum Trivialium

MAGNI DUCATUS

FINLANDIÆ,

Seorsim edita.



ABOÆ,

Excusa à JOHANNË Winter/

ANNO 1670.

COMOEDIA NOVA
DYSCOLI.

Actorum Nomina.

BROMIA.
PSEUDOLUS.
LESBIA.
MYDA.
EUGENIUS.
HARPALUS.
PAMPHAGUS.
PHORMIO.
SANNIO.
CHREMES.
SYRUS.
SANGA.
LEONIDES.
EUBULUS.



PROLOGUS.

EN rursus exeo in proscenium à dida-
 scalo
 Nostro Schonæo missus. Cateris, ante
 Quas scripsit, hanc, quam nunc su-
 mus acturi, sibi
 Adjiciendam putavit fabulam, pueris rudioribus,
 Non doctis scriptam. Ignoscite
 Itaque si quid fortè in ea occurrit, quod placeat
 minùs.
 Lusisse eum putare. Quanquam lusus hic
 Rei etiam seriæ adferet aliquid. Indulgentia
 Stultarum matrum quam multi, probo etiam
 ingenio,
 Atq; indole præditi adolescentuli, passim
 Corrumvantur, notum vobis est omnibus.
 Quapropter exemplis nihil est opus, quibus
 Repleta sunt omnia. Nihilominus tamen
 Consuetudo dramate, aut actione Comica
 Vobis id exhibendum censuit sibi.
 Adeste sodes, atq; cum silentio
 Auscultate, strepitum omnem prohibentes, uti
 vos decet,
 Qui liberalibus studijs & literis
 Addicti, arti favetis Musica. vestram
 Implorat opem. indoctorum hominum suffragia,
 quin etiam

Calumnias & malevolorum scommata,
 Atq; obtreclationes ne flocci quidem facit
 Choragus noster, dummodò vobis placeat bonis.
 Atq; huc sibi incumbendum existimavit hactenus,
 Neq; eum suus frustratus est
 Conatus. Sed satis jam vos remoratus sum diu.
 Nunc hujus argumentum audite fabulæ.

P E R I O C H A.

Dillo adolescentes præceptori literis
 Traduntur formandi. Mox indulgentia
 Matrum corrupti, seducuntur ab improbis
 Ad computationem, lusumq; alicæ.
 Amisere, telam surripiunt rustico.
 In quo facinore deprehensi, in carcerem
 Conjiciuntur. Damnati postero die, ac
 Necandi, auctoritate virgæ atq; ferulæ, à
 Didascalo morti eximuntur, & in schola
 Castigati, suis redduntur matribus.

ACTUS I. SCENA I.

BROMIA, PSEUDOLUS.

Jambici.

A Desdum fili, paucis te volo. PSEU. *Dictum puta
 Mater, nempe ut rectè curetur, quod modò mi-
 hi dabis*

Negotij. BRO. Immo aliud. PSEU. *Quid? an est,
 quod eo amplius*

Efficere possem? BRO. Intro te confer, & effer quos
 in miteo habes

Libros, nam his tibi jam erit opus. PSEU. *Quid i-
 ta?* BRO. Eho, rogas?

In scholam ego te deducam hodie. PSEU. *Huius in scholam?*

BRO. Quid ni, cum jam fatis diu luseris. PSE. *Parvum Hercule me delectant studia. Sed si tibi*

Ita videtur mater, agedum, obsequar. BRO. Facis Ut te decet, cum istud à te impetro cum gratia.

PSE. *Ita quidem fieri oportet. Sed cui magistro me Instituendum trades? Orbilioni isti plagoso?*

Cui omnis noxia capitalis est, quiq; non magis Puerorum parcat natibus, quam si corium sit bubulum.

BRO. Nequaquam: sed præceptorem tibi placidum, Comemque dispiciam, atque facilem, qui monendo commodè,

Et blandiendo, haud verberando juventutem docet. (qui in hac

PSE. *Eja, laudo mater.* BRO. Verum quia paucos, Civitate docent, novi magistros,

Vicinam nostram Lesbiam super hac re consulam, Quæ filium quoque habet, quem liberalibus

Artibus, ac literis instituendum se tradituram Hesternò mihi dicebat die.

Sed est ne hæc, quam cum filio. Huc accedentem conspicio?

Ea est ipsa, opportunè, atque adeo in tempore. Nihil ædè potuit fieri commodius, hic

Paulisper subsistam, atque ubi propius accesserit, alloquar.

ACTUS I. SCENA II.

LESBIA, BROMIA.

*Ejusdem generis versus.***V**enio ex Macello, cara ubi sunt omnia.*Nunc me domum recipio. Sequere me Harpale.
Sed quenam illa est, quam non ita procul hinc stare video? Pol Bromia est:**Me, uti videtur, opperitur, accedam***Propius.** BRO. Nunc compellandi tempus est,
Hem Lesbia,**In** tempore huc venisti. te volebam, LES. *Quid rei est?***BRO.** Quia prudens, circumspecta q; mulier mihi
Semper visa es, libenter consilio nunc uterer
tuo. LES.*Si quid est, in quo tibi ex usu fore**Me arbitrare, paucis eloquere: morigera,**Atque obsequens tibi ero per omnia.* BRO. Fili-
um hunc**Meum** bonis institui cupiam literis.LES. *Idem & ego de meo statui, ut tibi dixi**Heri. Sed cui eum committam, nondum satis scio.***BRO.** Magistrum mansuetum velim, comem, ac
facilem,**Qui** blandis verbis, non verberibus suos**Instituit.** LES *Talem & ego mihi optarim dari.**Plagosos istos odi pessime. habitat in**Vicinia hac quidam ut audio, qui auctoritate
Potius, quam flagris pueros erudit.* BRO. Nostin'
hominem?

LES.

LES. *De facie utcunque; at præter auditum habeo nihil.*

BRO. *Eamus ad eum, cupio hominem videre & colloqui.*

LES. *Præcedo, sequere.*-----

ACTUS I. SCENA III.

LESBIA, MYDA, EUGENIUS, BROMIA.

Ejusdem generis.

-----*In his ego ædibus habitare eum*

Existimo. pulsabo ostium. Heus heus, nemon' huc Prodit? MYD. *Quis tam graviter nostras pepulit fores?*

LES. *Pulsavimus.* MYD. *Qua de re quæso?* LES. *Cum Magistro*

Cupimus loqui. Estne ille intus? MYD. *Est.* LES. *Accede eum,*

Et ut paulisper prodeat, nostris verbis roga.

MYD. *Faciam hercle sedulo. Sed commodè ipse exit.*

Hem præceptor, mulieres hæc te conventum expectunt.

LES. *Salve Magister.* EUG. *Matronæ, salvete. Sed Quid est, quod me vultis?* LES. *Dicam. videsne hos Pueros? Alter meus est, alter hujus est*

Filius: Eos in discipulorum tuorum

Gregem receptos, rectis moribus, bonisq; literis

Fideliter ut instituere digneris

Oramus. Stipendium dabitur tua

Opera, atque labore dignum. EUG. *Rem omnem mihi committite,*

Efficiam ut me probè meo officio functum
 Dicatis. BRO. *Sed placidè ac comitèr id ut fiat*
Petimus: nam verbera nimis metuunt, ut pueri
solent.

EUG. Ita fiet, si probos se præstitierint. Quid illis
 expediat

Novi probè. Hem Myda, in scholam eos de-
 ducito.

MYD. Faciam Præceptor. BRO. *Libros, quos ha-*
bent domi, cras adferent.

Tu interim quid in studijs profecerint,
Fac periculum. EUG. Fiet. Sed, ne à schola
 Sæpe absint, cavete sedulò:

Nam parum in studiis proficiunt, qui ad alia
 Distracti, rarius adsunt. LES. *Curabitur.*

ACTUS I. SCENA IV.

BROMIA, LESBIA.

Ejusdem generis.

HUMANUS ille pol mihi vir esse vedetur Lesbia,
 Aliorum ludimagistrorum multū dissimilis,
 Qui ubi torvo vultu, & truculenta voce miseram
 Terrent juvenutem, magnos, verendosq;
 Viros sese esse existimant. *Virga, atque ferula*
 Virga, atque ferula formidabiles. LESB. *Est ut*
Dicis, & propterea gaudeo,
Filijsq; nostris gratulor, quod hunc
Talem nacta sumus. Sed aliud est quod te rogem.
 BRO. Quid? LES. *Quot sunt anni, quod tuus*
mortem objerit

Mari

Maritus? BRO. Anni? vix menses sunt tres. LES.

Quid audio.

*Lugubri igitur veste, etiam nunc te indutam esse
Conveniebat.* BRO. Jampridem ego omnem una
cum amictu,

Ex animo mihi luctum ejiciendum censui.

LES. *Hui, quid ita?* BRO. Quia ille me,

Non ut uxorem, sed ut servam exercendam

Putabat sibi. Domi mihi erat manendum à

Summo mane usque ad vesperum, cum ille in-
terim

Foris quotidie, quæ lubebat, faceret omnia.

Omitto quod mei oblitus, cum aliis frequenter
Potabat, atque genio indulgebat meretricibus.

LES. *Bona verba.* BRO. Est ut dixi, & propterea
non nisi

Dierum paucorum meus erat dolor, & is quidem
Simulatus: nam mortem ejus optaram sepius.

Sed estne diu, quod tu tuum

Amiseris? LES. *Annus erit propediem. At dic
mibi,*

Non tangeris desiderio repetendi matrimonij?

BRO. Non admodum. LES. *Atqui me, ut quod
sentio loquar,*

Jampridem viduitatis cepit tedium.

Sola domi totos desideo dies, adhuc

Noctu negotium mihi

Faceffunt insomnia. BRO. Ego quoque mihi de-
stituta

Videor; quanquam tali, qualis ille meus fuit,

Libenter pol caream viro. LES. *Meus quoq;*
Mibi per omnia non placebat. Sed quid agas?
Connivendum ad multa est uxoribus: & nihil
In rebus humanis perfectum est omni ex parte.
Toleranda

Illis quoq; sunt non pauca in nostris moribus:
 Habent enim & suos nexos mulieres. BRO. Id
 quidem

Inficiari haud possum. At tempus est, domum
 Ut redeamus. Sed est quod te rogem. LES. *Quid?*

BRO. Ut

Hodie mecum cœnes. Credo sub vesperum
 Adventuros, quos tibi contemnendos minimè
 Putabis. LES. *Si ita tibi videtur, faciam: at ea*
Conditione, ut tu perendino die mihi
Rursus sis conviva: cupio enim hanc nostram
Familiaritatem perpetuam esse. BRO. Spero ita
 Futurum. LES. *Bene vale.* BRO. Et tu, in vespe-
 rum. Sed ut
 Maturiùs adsis vide. LES. *In me nihil erit mora.*

ACTUS I. SCENA V.

HARPALUS, PSEUDOLUS.

Jambici.

NÆ nos hominum, qui vivunt, felicissimi
 Sumus, istius tyranni qui manus evasimus.
 PSEU. *Simul actu te in pedes conjiciebas, ego*
Sequendum continuò putabam mihi. HAR. Sa-
 pienter herculè
 Faciebas; nam nisi fugissemus, actum de pelle

No-

Nostrâ fuisset: lectionem enim nostram
Planè ignorabamus. Et antea præceptori
Perperuis fabulis negotium faecseramus:
Et sæpius admoniti, non desistebamus tamen.

PSEU. *Est ut dicis. Sed quid nunc nobis faciendum
putas?*

*Ibimusnè statim domum? an ludendum hic nobis
Aliquantisper arbitrare? cùm hora nondum
Sonuerit decima.* HAR. Domum ut eamus non
expedit:

Nam non nisi post undecimam è schola di-
mittere

Nos convevit didascalus: quod matribus
Nostris non est ignotum. Quapropter manea-
mus hic,

Et horam, quæ restat, ludendo transigamus.

PSEU. *Fiat. Sed quod genus lusus potissimum
placet?*

HAR. *Quod? alex.* PSEU. *Placet & mihi. Sed
ubi tessera?*

HAR. *Sunt in promptu.* PSEU. *Bene est: profere.*

HAR. *Faciam, accipe.*

PSEU. *Quanti certabimus?* HAR. *Victus per-
det festerrium.*

PSEU. *Assentior: sed sortiamur uter*

Prior sit incepturus. HAR. *Esto tu prior,*

Ego malim esse Abbas. PSEU. *Accipio quod of-
fers:*

Atq; adeò mitto. Observa sedulò. Hem, viden?

Novem. HAR. *Sic est. Nunc est meum. Hem ti-
bi. undecim.*

Vin

VINCO. PSEU. *Fateor. Utinam tam esses sapiens,
quàm es*

Fortunatus. Sed mitte rursus. HAR. *Accipe.*

SEPTEM. PSEU. *Ha ha he.* HAR. *Quid rides? an
ignoras*

Numeros esse minores? PSEU. *Scio,
At hic, ut opinor, fortuna fauebit mihi.*

Mitto itaq;. HAR. *Eho, nunc ridendi tempus
est, numerum*

Video omnium minimum: binarium videlicet.

PSEU. *Ita est, non possum vero refragari.*

HAR. *Sic fieri decet. At solve pactum præmium.*

PSEU. *Quodnam obsecro?* HAR. *Rogas? duos
sestertios:*

Nam bis vici. PSEU. *Quid aufers illi, qui nihil
habet*

In oculis? HAR. *Vah, quid ais scelus? vix me
contineo, quin*

Involem tibi in capillum. Sed dic seridò,

Solves, nec ne? PSEU. *Nihil planè.* HAR. *Sol-
ves hercule, nisi* *(quid*

Vapulare velis. PSEU. *Quid? vapulare? huc si
Lubet.* HAR. *Quid istud? etiam verberas? Næ ego*

Par pari referam: & faxo ut pugnos etiam mihi

Non deesse sentias. Ps. Obe, desine: satis jam

Pugnatum est, ego me in pedes, quantum queo.

Qui fugit, ut ajunt, pugnabit denuo.

HAR. *Næ tu homo es ignavus, qui à pedibus o-
pem tibi*

Quarendam existimas.-----

ACTUS II. SCENA I.

EUGENIUS, MYDA.

Ejusdem generis.

-----Duo isti pessimi
Sunt nebulones, qui nihil aliud quàm ludunt:
neque

De lectione discenda unquam cogitant.

Evaferunt illi quidem modò ex meis

Manibus: at faxo ne post hac ad istum elabantur
modum.

Quando neque bene monendo, neque increpan-
do, atque

Adeo minitando quicquam profeci hæctenus,

Aliud remedium quærendum erit mihi.

Phrygum mihi similes esse videntur, qui non nisi

Verberibus consueverunt emandarier.

Sed adest Myda, quid dicturus sit nescio.

MYD. *Salve præceptor, Adfero*

Alia duorum istorum nebulonum delicta. Eug.

Quæ

Myda? MYD. *Alea ludebant modò, mox jurgio*

Inter eos exorto, pugnabant insuper.

Eug. Non hercule impune ferent. In scholam
rectà

Eo: Ubi illos me inventurum existimo. Tu o-
stium

Observa diligenter, ne rursus effugiant. MYD.

Dabo

Operam: In tota civitate haud arbitror

Duobus illis pejores reperirier.

Ad

*Ad nequitiam eos natos esse dixeris. Atq; ideo
Adversus illorum improbitatem nihil unquam
Præceptorem profecturum arbitror. Sed quid
Hoc? è schola uterq; erumpit: Solus ego eos
Retinere nequeo. cedam itaque. Eug. Fugerunt
illi quidem,*

*Quanquam non nisi leviter castigati. Verùm
Graviorem pœnam, ut auguror, non effugient:
Nam nunquam frugi ego eos futuros arbitror.
Faceffant improbi. In scholam
Hercule ego illos nunquam recepero.*

ACTUS II. SCENA II.

HARPALUS. PSEUDOLUS, BROMIA.

Ejusdem generis versus.

HEm Pseudole, quo pacto tuæ se habent nates?
Ps. *Tyrannum istum malè perdat Jupiter,
qui tam*

Crudeliter corpus dilaceravit mihi.

HAR. Non ille ludimagister est appellandus,
Sed carnifex potius, qui tam inhumaniter
Nos tractavit. Ps. *Animus mihi*

Inhorrescit, quoties scholæ istius mihi

*In mentem venit: ubi nil nisi verbera, & fletus
Audiuntur. Nunc domum rectâ hinc eamus,*

Et matribus commemoremus, quantâ sevitiâ

Ille in nos debacchatus sit plagosus. HAR. Ut

*Lubet. Sed opportunè, a que ipso in tempore
Tua huc accedit mater. Hem,*

Serva. Vultus nunc nobis est sumendus tristior,

Ver-

Verbisque simulandus dolor. Ps. *Rectè mones.*

HAR. Hei mihi misero, quanta hodie verbera
perpeffi sumus!

Ps. *Eheu me infelicem! etiam nunc nates dolent
mibi.* (audio?

BRO. Quas ego querimonias, questusque hîc
Tun' hic eras Pseudole? Ps. *Eram mater.* BRO.

Eho, tu

Quoque hic es Harpale? HAR. Ah, sum Bromia,
BRO. Quid vobis deest?

Aut quid querimini? PSE. *An non querar ma-
ter? qui tam crudeliter*

Virgis sum laceratus. BRO. Quid ais! virgis?
PSE. *Est ut dico.*

BRO. Quid commiseras? Ps. *Nihil
Omnino mater. innocentes vapulavimus*

Atrociter. BRO. Et tu Harpale? HAR. Eho, ro-
gas Bromia?

Tota cutis lacerata est mihi.

BRO. Me miseram! quàm iniqui sunt plagosî isti
magistri

In suos discipulos iudices! qui æquum esse existi-
mant,

Jam illicò à pueris eos nasci senes: & qui graves
Pro levibus noxis pœnas exigunt. Mitte lachry-
mas

Fili, & tu Harpale. Sed video huc accedentem
nescio

Quam. & nisi me fallunt oculi, Lesbia est, tua
Mater Harpale. Ipsa est. gaudeo. nihil potuit
Fieri oportuniùs. -----

ACTUS II. SCENA III

LESBIA, BROMIA, EUGENIUS.

Ejusdem generis.-----*Præfagit animus, nescio**Quid mihi imminere tristius:**Et quid filium remoretur ignoro:**Nam jamdudum è schola suos**Magister dimisit. Videbam enim modò,**Cum isthac irem, exeuntes multos. sed meum**Nusquam, qui quoniam cessat, & nondum do-
mum**Venit, quæ cogito? quibus nunc sollicitor**Curis? At commodè ad epol huc Bromiam**Accedere conspicio cum filio. Quin Harpalus**Quoq; meus adest, nisi mihi hallucinantur oculi.**Ob, bene se res habet. BRO. Jam compellandi tem-
pus est.**Hem Lesbia, in tempore mihi venis obviam.**LES. Quid rei est? BRO. Ah, rogas? Verbis equi-
dem eloqui**Non possem, quàm crudeliter nostros in filios**Plagosus ille sævierit didascalus.**LES. Hei mihi misera! Non de nihilo animus mihi**Jam dudum fuit tristior. Et hanc ego nunc cau-
sam fuisse**Existimo, quod domum non venisti Harpale.**HAR. Ea ipsa est, mater. LES. Vah, si vivo, non
feret**Impunè. BRO. Accedamus ad illum, atque hanc
filiis*

Nostriſ illatam injuriam (gatus,
 Ulciſcamur. LES. *Placet.* Eug. Docendo defati-
 Prodeo foràs. Ne nos durã ſuſcepimus provinciã
 Quotquot juventutem formamus, hoc præſer-
 tima tempore.

BRO. Jam non procul ab ædibus illius abſumus.
 Et cõmodè eccum illum egreſſũ conſpico. Ego
 Eum adoriar prior; tu orationi
 Meæ uti ſubſervias vide. LES. *Fiet.* BRO. Deus
 Te malè perdat carnifex. Eug. Blanda, atq; amica
 Hercle ſalutatio. BRO. Non alia, immo pejo-
 re etiam (in filios

Te dignum arbitramur, qui præter meritum
 Noſtros ſæviſti tam inhumaniter. LES. *Vix me
 Contineo, quin tibi involem in capillum, aut
 hoc ſandalio*

Caput demulceam. Eug. Bona verba. BRO. E-
 tiam rides?

Eug. Muliere iniqua nihil eſt quicquã iniquius.
 Quanquam non eſt quod mihi ſuccenſeatis.
 Pœnas quidem luerunt illi, ſed ſua
 Nequitia minimè dignas. Itaque de ſævitia mea
 Non eſt quod queramini. *Severum ego
 Præceptorem, non ſævum debere eſſe arbitratus
 Sum ſemper.* LES. *Iſta tua crudelitas ſatis ſuperq;
 Jam pridem innotuit omnibus.*

Eug. Erratis mulieres, veſtraque in liberos
 Vobis imponit indulgentia.

Atque hoc pacto in eos conſulitis peſſimè,
 Cùm nimiã deteriores reddantur licentia;

Quæ ne & vobis, & illis in nervum erumpat,
Videte sedulò, BRO. Quid tu nobis mali
Auguraris improbe? (Res

Probi sunt, & rectè à nobis domi instituti. Eug.
Indicat. ego illis pejorem in schola mea habui
neminem.

LES. *Quid ais scelus?* Eug. Quid istud? etiam
verberas?

Heus heus, prodite pauperes. (eam,
Mulieres has in scholam rapite, ut virgis illis
Qua correptæ sunt, excutiam dementiam.

LES. *Ne feceris magister, & quid te deceat
Cogita.* BRO. In pueros tibi imperium est, non
in nos. (quæ indignis

Eug. Neque vobis in me, itaque dignæ estis,
Excipiamini modis. Sed ego clementiæ, ac
Facilitatis meæ memor, vos missas facio. Abi-
te quò

Lubet, vestrosque instituite filios,
Cum talibus enim nolim mihi quicquam esse
negotii.

ACTUS III. SCENA I.

PAMPHAGUS, PHORMIO.

Jambici.

NÆ ego cutem heri curabam molliter,
Genioque indulgebam lautè, atque prolixè,
A summo manè usq; in multam noctem. Ebrius
Etiam nunc videor mihi: & caput dolet,
Stomachus nauseat. Tales mihi optârim
Computationes obvenire sapius,
In quibus me a symbolum

Fa-

Faciat alea. Sed eccum Phormionem,
 Meum compotorem. Gaudeo: nam nullus est
 Quem nunc mihi malim dari obvium. PHOR. *Hes-*
sternam

*Herculè non dum satis edormivi crapulam: &
 Doleo oculos esse exhaustos. Nunquam profectò
 Aliàs mihi infelicius cecidere tessera.*

O FORTUNA, ut nunquam perpetuò es prospera!
Sed ea jactum aliquo modo

Hodie erit sarcienda. PAM. Solito mihi videtur
 tristior, *(phage.*

Compellabo. Salve Phormio. PHOR. Et tu Pam-
 PAM. Quid tibi accidit? PHO. *Quid ita?* PAM.

Quia vultus non placet.

Aliquid tibi videtur evenisse incommodi.

PHO. *Rectè conjectas.* PAM. Quid istud est? PHO.
Hesternus

Planè mihi adversus fuit dies. PAM. Quis sic?

PHO. *Quia nunquam mihi minus favit alea:*

Quamquã dolo utebar non raro. PAM. Artes tuas,
 Fraudesq; satis novi. PHO. *Sed ille nihil heri mihi*

Profuerunt omnino. PAM. *Varia ut est Martis,*
 ita & lusus *(pissime.*

Alea. PHO. *Id equidem ego expertus sum se-*

PAM. Et ego certè. Verùm heri fortunatus fui

Satis: & hodie etiam futurum me confido: nam
 Animus nescio quid mihi prælagiat boni.

Atque hujus, quicquid erit, felicitatis, te

Participem fore promitto. PHO. *Promissis qui*
esse possit? ex quibus *(non dives*

*Si quam spem in animo conceperim,
Ne id stultè fecisse videar, metuendum erit
Mibi.* PAM. Bono animo esto. Sed quos huc
ad nos venire

Video? adolescentuli sunt, ex illis nobis prædam
Sperare ausim. Præstolemur eos accedentes, &
Quid sint loquuturi observemus sedulò. PHO.
Placet.

ACTUS III. SCENA II.

HARPALUS, PSEUDOLUS, PAMPHAGUS,
PHORMIO.

Ejusdem generis.

ECquis me est fortunatior? cui ex voto cõtigère
Omnia. PSE. *Quis hic beatum sese venditat?
Tun' Harpale?* HA. Ego ipse Pseudole. PSEU.
Quid tibi accidit,

Quòd solito es hilarior? HA. Rogas?
Videsne novis me indutū vestibus? PSE. *Video, &
Formosior mihi nunc esse videris, quàm dudum.*
HA. Vestes formam commendant. PSEU. *Ve-*
rum dicis. at

Aliud est, quod te rogem. HA. Quid? PSEU. *Ille*
valet (dam

Crumena? HA. Eam mihi mater planè turgi-
Reddidit. Aspice. PSEU. *Hui, unde tanta ei li-*
beralitas?

HA. Arte tractavi doli (sefelli
Ignaram. PSEU. *Ego quoque meam ad eundem*
Modum. Hem, appende. PAM. Audin' quid dicant?
PHO. *Audio*

Et gaudeo. PAM. Præda hæc nostris digna est
ungvibus. *(tunius.*

PHO. *Nihil herculè posset nobis accidere oppor-*

PAM. Quid ais? an nunc etiã, quòd dicebã modò,
Nobis hodie eventurum boni,

Vanum atque contemnendum existimas? PHO.
Nullò modo.

Accedamus ad eos, atque appellemus comiter.

PAM. Præcedo, sequere. Næ ego loculos, quos
rurgidos *(Credo*

Se habere gloriantur, planè exhausero. PHO.

*Futurum: nam quo pacto id fieri soleat, calles
optimè.*

HA. Eho Pseudole, satis jam hic, subsistimus diu.

Ad diversorium nos recipiamus, &

Diem hunc lætum, atque hilarem sumamus. PAM.

Jam alloquendi tempus est.

Hem, salvete adolescentuli, quo vobis est iter?

PSE. *Extra urbem prodeambulare lubitum est
longius.* *(virate, ubi*

*Nam ruri hoc tempore esse malumus, quàm in ci-
Populi passim offendit concursus, & frequentia.*

PAM. Nos vobiscum ibimus, si admittitis. PSE.

Quidni?

Jucundus, uti dici solet, comes pro vehiculo est.

PHO. *Restè, nihil potuit dici festivius.*

HA. Ubi ambulando acuerimus

Stomachum, potatum, ac comestatum aliquò
divertemur. *(Eja gaudeo,*

PAM. Idem & nos facere proposueramus. PSE.

Compotores tam commodos

Nobis evenisse. Sed jam deambulavimus

Satis, & animus jamdudum est in poculis.

HA. Ego quoque sitim mihi contraxi. Sed quonam ibimus?

PHO. *Hospitem probum dabimus, ubi*

Potandi, atq; commessandi commodus

Erit locus. PSE. Nihil hercule est, quod cupimus magis:

In letitia enim, ac gaudio hunc diem exigere

Certum est nobis. PAM. Pervenimus

Quo ire constitueramus, sequimini: pulsabo ostium, (loquar.

At eccum commodè exeuntem cauponem, al-

ACTUS III. SCENA III.

PAMPHAGUS, SANNIO, PHORMIO, HARPA-
LUS, PSEUDOLUS.

Ejusdem generis.

Salve Sannio. SAN. Salvete boni viri, & vos adolescentuli.

Adventus vester nobis est gratissimus.

Intrate. PHO. *Præcede, sequimur.* HA. Nunc cantharum promi jube: cule sedulò.

Nam me jamdudū torquet sitis. SAN. *Faciã herpse. Pol aptum hic commessandi nacti sumus*

Locum. PAM. Nullum usquam reperias commo-
diorem. SAN. Cerevisia hæc

Sit fausta vobis omnibus. PHO. *Euge bene fecisti, qui mihi*

Dedisti cantharum; ariditate enim fauces

*Crepant mihi: præbibo adolescens. sed quod tibi
Est nomen?* HA. Harpalus. PHO. *Quod tibi?* PSE.

Pseudolus, (cur Harpale.

PAM. Rectè nomina conveniunt. PHO. *Tibi igitur*

HA. Ut saluti sit precor. sed ebibe

Dimidium. PHO. *In eo te decipiam minimè. Hem,
viden'?*

HA. Video. PHO. *Responde igitur.* HA. Faciam
idque sine mora. Hem,

Tibi Pseudole. PSE. *Sit saluttiferum, at ebibe.*

HA. Eho, quid videtur?

PSE. *Virum te præbuidisti strenuum, laudo.*

Agedum hospes, prome alterum. SAN. Fict. HA.

Nunc genio indulgeamus,

Et simus hilares. SAN. Felix sit vobis hic potus.

HA. Hem,

Tibi debetur Pseudole. PSE. *Scio. Tibi Pamphage:*

Sed eadem qua accepi conditione. PAM. Nihil re-
cuso.

PSE. *Accipe, & si quid sefelli, redde cantbarum.*

PAM. Non hercle reddam, nam probè

Officio functus es tuo. Sed agedum Sannio,

Mensam insterni, & opiparū nobis hic appararū

Jube convivium: neq; enim potandum solū, sed

Edendum etiam erit nobis. Quin vinum quoq; ut

Promatur effice. SAN. Faciam.

Vos modò confidite; faxo ut jam jam parata

Sint omnia. PAM. Nunc omnes ex animo no-
bis sunt

Ejiciendæ ægritudines. PHO. *Нане ип ам об сан-*

сам буз венимус,

B 4

Agi-

Agitedum, admoveamus manus patinis. quisque capiat,

Quod palato maximè sapit suo.

De armo hoc ovillo mihi partem sumam: videtur Enim probè atq; diligenter assus: me

Imitamini & quisq; sibi consulat. SAN. Felix

Faustumque hoc vobis sit vinum. PSE. *Optimè hercule* (ego vinum

Factum, nam vinum bibo libenter. PHO, *Atque Cuius facile antepono cerevisia.* HA. Ne tu mecū

Sentis Phormio. PSE. *Harpale, hunc vini tibi Præbibo cyathum.* HA. lætus hercule accipiam, & ebibam (pale.

Lætior. Ego tibi Pamphage. PAM. *Prosit Har-* PHO. *Eho quid istud? an ego vobis hic ignotus sum omnibus?*

PAM. *Quid ita?* PHO. *Quia nemo mihi præbabit.*

PAM. *Id hercule*

Nostra culpa accidit. Sed quod dispendii

Est factum, sarciam. Tibi Phormio. PHO. *Ha-* beo gratiam. (ferculis.

SAN. *Agite, ne parcire sodes, quæ apposuimus, Apparatus tenuis est. quod si ante scivissemus Vos huc venturos, obsonati fuissetem*

Largius. PHO. *Quæ apposita sunt, abunde nobis Sufficient. præbibo tibi Sannio.* SAN. *Ut faustum tibi* (ptimè.

Sit opto. quo pacto vobis sapit vinum? HA. O-

SAN. *Lubenter istud audio.* PSE. *Obe, potatum est satis:*

Ludendi jam tempus est. PAM. *Placet.*

Sed quanti ludemus. PSE. *Floreno.* PAM. Fiat. SAN.

Ecce vobis

Fritillum, & tesseras. PHO. *Nihil*

Opus erit fritillo. sola tessera

Sufficient nobis. PAM. Sic est. sed pecuniam

Deponamus praesentem. HA. Ita fieri oportet.

PAM. In ludendo socius erit mihi Phormio. HA.

Placet.

Tu mihi Pseudole. PSE. *Agite, sit ita. Sed pecunia*

Ultrinque deponatur. PHO. *Fiet. Ego, quia tesseras*

Mibi tradidit hospes, bonis avibus exordiar

Lusum, nisi quid dissentitis. HA. Concedimus.

PHO. *Ecce vobis quatuor.* PS. *Sic est.* PHO. *Nobis*

septem.

En rursus septem. vicimus. Aliam pecuniam

Deponite. HA. In promptu est. sed nunc mihi tes-

seras

Tradi velim. PHO. *Accipe.* HA. Quod cadet

Vestrum erit. Novem, videtis?

PAM. Probe. HA. Nos octo habemus. PAM. Per-

ge. Eho, novem

Rursus. vicimus & hoc. PS. *Fatemur. ne ride.*

Fortuna inconstans, & varia est. PHO. *Fateor,*

HA. Nunc plus erit

Deponendum. PHO. *Quantum lubet.* HAR. Qua-

tuor hos aureos (um id quidem.

Ego depono, vos adjicite totidem. PAM. Nimi-

Sed nihil refragamur. En & nostros quatuor.

PSE. *Nunc mihi*

Tesseras dari velim. PHO. *Placet.*

Ps. *Advertite, vobis quinque: nobis sex.* PAM. Video,
Euge, bene cecidere tessera,

Quinque sunt, & hæc nostra est pecunia.

HAR. Næ nos infortunati sumus.

Sed jam à ludendo desistendum existimo,
Cum non ita multum nobis restet in marsupiiis.

PAM. Pergamus, & quicquid vobis superest pecu-
Deponite. Non semper adversabitur (niæ,

Fortuna. HAR. Quid videtur Pseudole. PSE. De-
ponamus omnia.

PAM. Nos tantundem. Ego nunc, quid Fors sit
allatura, (Rursum

Experiar. En duodecim nobis: vobis undecim:
Ecce undecim. Quid nunc vobis videtur? Hæc

Nobis cedunt omnia, -----

ACTUS III. SCENA IV.

SANNIO, PAMPHAGUS, PHORMIO, HARPALUS,
PSEUDOLUS.

Ejusdem generis versus.

-----Crucior hos nihil aliud

Quàm ludere. potare eos malim. PAM. Cómòdò
Ingreditur hospes. Eho, rationem subduc Sannio.

SAN. Hui, tam citò? PHOR. Aliò nostra nos vo-
cant negotia. SAN. Ut (Hem,

Videtur. Quatuor floreni mihi debentur. PA.
Bene me herculè. cuique solvendus erit unus,

SAN. Ita est. PAM. Accipe nostros duos. SAN.
Habeo pol gratiam.

Valete viri boni. PHO. Vale Sannio. SAN. Ehodù
Adolescentuli, an non & vos solvetis? HAR, Quid

Sol-

Solvemus miseri, cùm ne obulus quidem nobis
Superfit in loculis. SAN. Quid ita sodes? PSEU.

Quia (istud mea?
Nobis planè adversa fuit fortuna. SAN. Quid
Solvite. HAR. Quid quæso adimas nudis? SAN.

Nudi herculè
Nondum estis. Agite, superiores protinus
Exuite vestes. Vah, quidnam cunctamini?
Eas mihi donec solveritis, servavero.
Exuite inquam, nisi vapulare malitis.

PSEU. *Vis quidem hæc est.* SAN. Nunc abite,
Quò vultis. PSEU. *Ab, Itane fieri oportet?* SAN.

Nondum (summu
Abiistis improbi? Hoc vobis accipite. HAR. Prò
Deus! quænam hæc est contumelia? Non satis
Erat nos vestibus exui, atque indignè ex ædibus
Exturbari, ni lotio nos insuper
Perfundant? SAN. Sic tractari eos oportet, qui
Rem decoquunt. HAR. Me miserum! quid nunc
agimus Pseudole?

PSEU. *Nescio me herculè, nam unà cum pecuniâ
Omne mihi periit consilium; & me mei pudet.*

HAR. Ego quoque cùm crumenam exhaustam,
& vestibus

Me spoliatum video, arborem suspendio
Mihî quærendam arbitror. PSEU. *Et me vite
jam dudum piget*

Mee. HAR. Aliquid tamen nobis erit
Inveniendum, neque planè despondendus ani-
mus. Sed (ruero.

Abeamus hinc; mox tibi meum consilium ape-

ACTUS IV. SCENA I.

CHREMES, HARPALUS, PSEUDOLUS, SANNIO.

*Jambici.***D**E via profectò defatigatus sum*Planissimè. hic quiescendi mihi commodus**Datur locus. modò, quod superest, perficiã iter. sed**Ne quis mihi hanc telam eripiat, cavebo. Nam**Scio hic passim multos vagari nebulones,**Impostores, ac sycophantas: ij ne me**Fallant, videndũ est sedulò. HAR. Quid tibi de eo**Videtur, quod modò dicebam Pseudole? PSE.**Placeret, nisi**(digentibus**Cum periculo esset conjunctum. HAR. Vah, in-**Nullum pol fugiendum est periculum. Audaces**Fortuna juvat. PSE. Sed ne audacia ea nobis in**Nervum erumpat, metuo miser.**HAR. Ah, meticulosus es nimis. Bene ominare, rē**Ex animi confido successuram sententia.**Sed video non procul hinc in gramine rusticum**jacentem. PSE. Video & ego. Quid tum? HAR.**Rogas? telam**(perdant, nisi**Habet, & dormit. PSE. Sic est. HAR. Superi me**Eam illi eripuero furcifero. Hem circumspice,**An tutã satis sint omnia.**(dormit.**PSE. Tutissima. HAR. Præda hæc nostra est, altum**Hem quid videtur? PSE. Mirum ni Dea Laverna**propitia**Sit tibi. HAR. Næ ille, ubi mox fuerit experre-**ctus, ejulabit, cùm**Telam sibi ereptam conspexerit. Revertamur**Nu-*

Nunc ad cauponem, atq; hac nostras redimamus Vestes. PSE. Rectè, Nunquam audiui melius consilium dari.

Eamus. Opportunè, atq; adeo in ipso tempore Hic nobis est oblatus rusticus. HAR. nihil Potuit fieri commodius. Sed claufas video fores. Pulsabo. Heus heus Sannio, prodiocyus. SAN.

Quid vis tibi?

HAR. Aperi inquam, atque egredere protinus. Ut vestes redimamus, huc rediimus, SAN. Unde Vobis pecunia tam cito? PSE. *Tua quod nihil Desiste percontarier.* (refert,

Hanc accipe telam, & vestes nobis reddito. (At SA. Eho telâ? hanc, ut opinor, surripuistis alicui. Mea nihil interest. Sequimini me intro, ibi Vobis vestræ restituentur vestes. PSE. *I præ, sequimur.*

ACTUS IV. SCENA II.

SYRUS, SANGA, CHREMES.

Ejusdem generis.

Quia undique quotidie ad dominum nostrum agricolarum

Querelæ deferuntur, quod nihil tutum Sit ipsis à prædonibus, aliisq; furibus, Omnes huic urbi vicinos pagos ut visam, nobis Præcepit. Et si quos istius generis homines alicubi

Inveniremus, eos comprehensos ad se statim Protraheremus. Id nunc exequendum erit Nobis. Hem Sanga, & Geta, præcedo, sequimini me. CHR. *Hui,* Dum

Dum defessus quiescere (pus est,
Tantum statueram, planè obdormivi. Nunc temè
Surgendi ac progrediendi longiùs. At at, quid
Hoc? ubi tela est? Eheu, dormienti adempta est
Mibi. Deus istum perdat sacrilegum, qui me
In publica via ausus est spoliare. O miseriam!

Quid nunc agam, aut quò me recipiam nescio.

SYR. *Quid ille suo questu sibi vult rusticus?*

Accedamus ad eum propiùs. CH. Næ ego hominù
Qui vivunt sum infelicissimus.

SYR. *Eho, quid vociferare? aut quid ejulas? CHR.*

Quid ejulem

Rogas? equidem perij. SAN. Quid ita? CHR. Te-
lam quam in civitatem

Deferre proposueram, hic erepta est mihi.

SYR. *Quando istud est factum? CHR. Modò. SAN.*

Quo pacto? an palam

Per vim? CHR. Non: sed dum longiori itinere
defatigatus,

Quiescere hic parabam paulisper, somnus

Me oppressit. Mox experrectus, telam mihi

Ereptam invenio miser. SAN. O prædonem au-
dacissimum!

Sequere nos. Est non ita procul

Hinc prostibulù, quò nebulones, aliq; malefici
Diverti plerumque solent: ibi eum reperiemus
forsitan,

Qui telam tibi ademit. CHR. Id ut fiat, faxit Deus.

SY. *Recta eo properamus, tu interea nos hic*

Præstolare. CHR. Faciam. Heu mihi! (in que

Quid agam, siquidem hæc tela perierit mihi? Ah!

*Tempora intidimus, quibus furari, rapere, atq;
Prædari quisq; licere existimat sibi.*

Sed confidebo hic paulisper, donec redeant.

ACTUS IV. SCENA III

SYRUS, HARPALUS, SANGA, PSEUDOLUS, CHREMES.

Ejusdem generis.

QUID hoc? hiccine vos reperimus nequissimi?

HAR. O populares! ferte miseris auxilium, subvenite

Innocentibus. SAN. Etiam subsidium implorare

Audetis sceleratissimi? SY. In ipso crimine

Deprehensi vos innocentes

Dicis scelus? HAR. Me miserum! in crimine

Quonã obsecro? SAN. Vah, queris impudens? unde

Hanc nacti estis telam? aut cui eripuistis? PSE. In

Me pol tale non cadit facinus. HAR. Neq;

In me. SY. Mentimini, Is cui adẽpta est, hic adest.

Hem rustice, respira. ecce telam. CHR. Quid, te-

lam? Ob, beastis me. (movete vos,

SAN. Sequere. CHR. Istud quidem facio lubens. SY.

Malefici, nisi obtorto collo malitis protrahi.

HAR. Ah, siccine nobiscum agitis? SAN. Vapula

trifurcifer.

HAR. Eheu me infelicem! etiam verberas? SY. Eho,

Quid pugnos frustra lædis Sanga: non sentit nisi

Fustem mastigia. SAN. Crucior mihi baculum

Deesse, quo isti latera conteram improbo.

PSE. O nos miserrimos! SY. Tace nequam, ac pro-

gredere. Sed

Herum eccum egressum conspico.

ACT.

ACTUS IV. SCENA IV.

LEONIDES, SYRUS, SANGA, CHREMES.

Ejusdem generis versus.

REvifo quam mox huc mei redeant ministri:
quos

Quidem sine præda non reversuros existimo.

Tantam audio passim esse nebulonum,

Ac furum multitudinem. (xima

Quorum audacia ne impunita relinquatur, ma-

Nobis adhibenda est cautio. Sed video huc eos

Accedentes. Et nisi me oculi fallunt, duos

Huc ligatos pertrahunt. Manebo hic, donec

Propius accesserint, Sy. *Salve here, nõ infeliciter,*
Uti vides, hæc nobis successit venatio.

Adducimus ad te prædam. LEO. Hem bene fecistis.
laudo.

Sublimes eos intro rapite, atq; vinctos sedulo

Affervandos curate, ne qua copia

Sit elabendi. Sy. *Curabitur here.*

*Heus tu, quid stas rustice? Prætozem sequere, ac
telam tuam*

Esse dic. CHR. *Nihil est quòd æquè fecero lubens.*

ACTUS V. SCENA I.

BROMIA, EUBULUS, LESBIA.

Jambici.

PErrii, interii miserrima! Siccine filium

Meum unicum conjectum in carcerem mihi

Nuncias cognate Eubule? EUB. *Sic est hercule*

Factum ut dixi, et mæq; ita se habere intelliges.

BRO. Qui scis, aut unde istud rescivisti obsecro?

EUB.

EUB. *Hisce oculis vidi, ac statim deinde id tibi
Ilt nunciarem, huc properandum putabam* (um.

Mibi. BRO. Ne tu tristissimum mihi adfers nunci-

EUB. *Ned, solum istum tuum, sed alium in super
Cum illo adolescentulū, in vincula vidi deducier.*

BRO. Eheu me miseram! mirum ni Harpalus is
fuerit, ejus (currere

Sodalis. Sed quam huc ad nos exanimatam ac-
Video? Nisi mihi hallucinantur oculi, Lesbia est.

EUB. *Ea est ipsa.* BRO. Ah, quā perturbata sit vide!

LES. Hei mihi miseræ! actum est, siquidem verum
est, quod audivi modò. (metu, ac

EUB. *Audin' quid dicat?* BRO. Audio, & animus
Tremore inhorrescit mihi.

Compellabo. Eho Lesbia, quidnam est istud quod
Te audisse prædicas? & quod animum perturba-
vit tibi?

LES. *Quid? hiccine eras Bromia? Non prævideram
Te. Ne nos omnium, quæ vivunt, mulierum sumus*

Infelicissima. BRO. Quid ita? cedo. LES. *Filij nostri
Comprehensi sunt, atq; à prætore in carcerem*

Detrushi. BRO. O miseriam! idem & hic cognatus
noster

Eubulus nunciavit mihi. LES. *Credo. sed dic mihi
Quæso, quid perpetraverant?* (Rusticum

Aut quodnam ob facinus capti dicebantur? EUB
Quendam ab iis spoliatum aiebant. Sed certi.

habeo nihil. (da maxima!

LES. *Eheu, quæ est, si non hæc miseria est appellan-
Jam vitæ me tædet mea. Nunc accidit*

Quod præceptor nobis eventurū prædixit. BR. Ah. Memini, & me illi non obsequutam doleo, sed Frustra. EUB. *Desinite flere, & lamentarier:*

Sed potius, quod ad hanc rem attinet,

Mecum consulite. BRO. Consilii in me reperio

Nihil. EUB. Dicam mihi quod in mentem venit.

Vos dijudicate. LES. *Quid isthuc?* EUB. Virge, atq;

Ferulæ auctoritate ego illos liberandos

Esse arbitror. in quo quidem pecuniæ vobis

Non erit parcendum. BRO. Eubule, pecuniam

Nihil moramur, si modò filii servari eâ

Possent. EUB. *Poterunt. Iudimagistrum, qui eos*

Docuit, statim accedite, eumq; orate, ut vobis

Auxiliari dignetur, quod quidem facile

Ab eo impetrabitis, si hominem novi satis.

LES. *Eho, quid faciemus Bromia?* BRO. *Quid ali-*

ud, quàm

Quod nos facere cogit necessitas, durum,

Ut ajunt, telum. LES. *Eamus igitur.* -----

ACTUS V. SCENA II.

EUGENIUS, LESBIA, BROMIA.

Ejusdem generis versus.

----- Grave profecto est

Docendi munus, multoq; molestissimum.

Non tam ob perversos juventutis mores, &

Ingenia ad nequitiam prona, quàm ob stultam
matercularum

Indulgentiam, suos quâ perdunt liberos:

Laboremq; hunc nostrum longè omniū reddunt

Difficillimum. *Næ ego hoc saxum satis*

Velvi

Volvi diu. At quid hoc? accedunt huc duæ
Istæ mulieres, cum quibus
Non ita pridem jurgium fuit mihi, &
Videntur esse tristiores. Mirum ni
Earum filii, qui pessimi sunt nebulones,
Aliquid perpetrarint mali.opperiar eas
Hic ante ostium. LES. Ehem Bromia, video dida-
scalum (Iutemus
Stantem pro foribus, BRO. Commodè ædepol. fa-
Eum comiter, atq; in genua procumbamus,
Oremusq; supplices, ut subvenire
Nobis dignetur. LES. Ita nos facere decet. BR. Ego
Illum compellabo prior:
Tu, si quid fortè defecero, uti orationi
Meæ subservias vide. LES. Curabitur.
Eug. Nescio quid secum mussitent. BR. Salvete te
Jubemus vir honorãde. Eu. Vah, insidiosa hercule
Hæc est civilitas. Satis superq; salveo;
Paucis dicite si quid est, quod me velitis.
BRO. Si qua in re te unquam offendimus,
Nostræ ut id imprudentiæ, atq; inscitæ
Ascribas, nobisq; pro tua clementia
Ignoscas, vehementer te oramus. Præterea ut in his
Nostris ærumnis, atq; calamitatibus
Opitulari nobis digneris. Eug. Agitedum, surgite:
Et, in quo mea opera vobis sit opus, dicite.
BRO. Faciam, quanquam me dicere pudet: & di-
centdum est tamen.
Filii nostri periclitantur de vita, ni ope,
Vir humanissime, serventur tua.

EUG. Quid ii commiserunt? BRO. *Furti eos
Accusari audivimus modò.*

*In quo quidem facinore deprehensi ante sunt
Nunquam.* LES. *Est ut dicit Bromia.*

EUG. Quid, an non dixi hoc eventurum? LES. *Di-
xisti ô bone,*

*Et peccatum à nobis est maxime. nunc in
Te uno omnis spes est nobis, ad te venimus,
Subsidium expetentes supplices.* (tua

EUG. Quid vultis ut faciam? BRO. *Virga, ac ferula
Auctoritate ut illos liberes.* EUG. Quo pacto istuc
queam?

Cum jam meã reliquerint scholam. LES. *Sic est.
Sed hoc*

Tecum cogita, eos non nisi paucos absuisse

Dies. BRO. *Misereat te nostri, tuaq; ope*

Succurre nobis infelicibus, gratas

Nos dices, atq; memores. LES. *Moveant te nostræ
lachrymæ.*

BRO. *Puerilis ætatis te moveat imprudentia.*

LES. *Adhæc viduas, atq; pupillos tibi defendendos
cogita.* (me estis

EUG. *Desinite orare. Quanquam haud bene de
Meritæ, tamen experiar, quid hac*

In re efficere queam. Injurie

Oblivisci decet. BRO. *Non solùm gratiam tibi*

*Habemus vir colende, sed referemus etiam ma-
ximam.*

EUG. *Sequimini me intro, atque ibi paulisper ex-
pectate, dum*

Me paro. BRO. Eho Lesbia, sequamur. Confido
Eum aliquid effecturum boni. (ego

ACTUS V. SCENA III

LEONIDES, SANGA, HARPALUS, SYRUS, PSEUDOLUS,
Ejusdem generis.

EHO, perducite huc è carcere duos illos impro-
Morte ex judicum sententiâ (bos,
Mulctandos. SAN. *Curabimus here.* LEO. Digni
me herculè

Sunt qui indignis pereant modis: nam tales, in
republica

Bene instituta, nequaquam sunt tolerandi.

SAN. *Procedite scelesti. atq; etiam restitatis?*

HAR. O miseriam! nullusne nobis auxiliabitur

Infelicibus? PSE. *Hei mihi? nemo est, què nostri
Misereat?* SAN. *Tacete, ac pergite:*

Dignum vestris sceleribus luetis supplicium.

SYR. *Adducimus ad te here, quos voluisti.* LEO.

Bene fecistis. Hem, ad

Precandum vos componite,

Et in genua procumbentes, Deum orate, ut

Animis vestris propitius esse dignetur.

HAR. Ut te nostri misereat obsecramus supplices.

LEO. Nullius me miseret, infelicitatis

Qui ipse est auctor suæ. *Bonis nocet, quisquis*

Pepercerit malis. PSE. *Vae nobis infelicibus.*

Adeste huc adolescentuli,

Et ad hoc triste concurrite spectaculum.

Ex nobis exemplum capite, vobis quod ex usu

*Erit. Felices sunt, aliena quos
Emendant infortunia.*

HAR. Parentum præceptis, atq; magistrorum nè
Adversemini videte sedulò. Improborum
Consortium fugite, atque à furto, aliisq; rebus
Malis, ac vetitis temperate: ne in idem,
Quod nobis nunc impendet, exitium illabamini.

LEO. Ohe, mittite lamentationes,
Et ad moriendum vos parate, Deo animorum
vestrorum

Salutem commendantes supplices. HAR. Eheu,
Quàm miserum est mori? -----

ACTUS V. SCENA IV.

EUGENIUS, BROMIA, LESBIA, HARPALUS,
LEONIDES, PSEUDOLUS.

Ejusdem generis.

----- Eug. Hem puer,

Sequere me cum virga, & ferula: & vos mulieres.
Ad prætorem rectâ nunc procedo viâ.

BRO. Immo in forum potius: nam eò
Illos modò deductos audivimus. Eug. Ut lubet.

LES. Sed nè serò veniamus metuo. BRO. Idem &
mibi

Cure est maximè. Eug. Bono
Animo estote. Sed maturemus. Magnam in foro
Conspicio hominum frequentiam; ut fieri solet,
Quando de maleficis supplicium sumitur.

BRO. Heu me infelicem! nulla sum: perij, interij
miserrima,

Scalas erectas ad patibulum conspicio.

EUG. Eho, respirare, atq; animū recipite. Venim,
In tempore. LES. *Vocē tollam. Heus heus, omittite
Paulisper, quod agere cœpistis: quidq; hic dida-
scalus*

Sit dicturus, audite obsecro. HAR. *Matris vocem
mibi*

Audire videor. Illam oro ut mibi alloqui

Liceat, priusquam morior. LEO. Eho, quid hæc
res vult sibi.

EUG. Salve Domine prætor. LEO. Et tu bone
vir. EUG. Oro

Ut tantisper quod facere instituisti, intermittere
Digneris, dum pauca loquentem audiveris.

LEO. Fiat, concedo. EUG. Hæc matronæ, præ-
tori supplices

Ad genua accidite. Quos huc, in crucem suspen-
dendos

Duci iussisti, harum viduarum filii

Sunt, mei q; discipuli. LEO. Credo: sed in furto
tamen (in scis,

Deprehensi. EUG. Non inficior. Sed quoniam
Atq; adeo invitis matribus, non plus quàm triduum
Ab improbis seducti, nequitia se se dedidere, neq;
Antea tale quippiam ab eis perpetratum est un-
quam, ut

Tu publicè illos morte punias, neque
Decere, neque licere tibi arbitror: quando
Scholarum privilegia illos ex hujusmodi
Pœna, veteri, ac laudabili

Consuetudine, atque more liberant:
 Ut antè sæpe factum novimus. Quare
 A te petimus, vir honorande, ut puerilis
 Incogitantia, ac fragilitatis misertus, eos
 Nobis puniendos tradas. Gratas non solū tu has
 Duas matres, sed famuli etiam tui esse sentient.

LEO. Oratione tuâ tam cordatâ, ac gravi,
 Tum adolescentium imperitiâ
 Commotus, tibi eos tuo arbitrato castigandos,
 Trado vir humanissime. Hem
 Matronæ, surgite. BRO. *Gratiâ tibi habemus, ac*
Referemus etiam, prætor clementissime.


Tum hujus tui erga nos beneficij, quo ad vixerimus
Memores erimus. LEO. Solvite eos, ac præcepto-
 ri committite.


EUG. Nunc in genua procumbite, atque gratias
 Prætori agite. HAR. *Maximas tibi prætor*
Benignissime ago gratias,

Qui me ex morte liberatum vitâ donasti. PSE. *Et*
Ego quoq; mitissime domine, meam salutem
Tibi acceptam refero. LEO. Bene facitis, quando
 Gratos vos præberis. Sed etiam atq; etiam vi-
 dete, ut posthac

Ab omni maleficio abstinatis, ne rursū in manus
 Nostras illabamini. HAR. & PSE. *Curabitur*
Sedulò. Eug. Spectatores, non est quod hic mo-
 remin

Diutius. Quod restat, in schola peragetur, ibi
 Pœnas, qui deliquerunt, luent. Valet, & plaudite.





~~309. VII. 36.~~

~~Vierask. kausik.~~

Rev. Kaunokij. ja

taide 2.

Schonaeus

KANSALLISKIRJASTO-KANSALLISKOKOELMA



120 102 1967

KPL 1

ml X

